



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. Quinam impetrare possint Rescriptum, qui non, & à quibus, contra quos, & in quibus rebus impetrari possit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Plures sunt quidem Rescriptorum divisiones, potissima tamen ea est: qua Rescripta dividuntur in Rescripta *justitia & Gratia*. Illa dantur ad explicandum seu declarandum jus, sive ad lites expediendas, dicendum jus, & administrandam justitiam: hæc dantur ob obtinendam aliquam Gratiam seu beneficium, addunt his aliqui Rescripta etiam mixta, quæ scilicet gratiam & justitiam continent, ut si executori mandetur, ut conferat beneficium, simulque detur potestas compellendi resistentes vel impediendes.

## §. II.

*Quisnam impetrare possint Rescriptum, qui non. Et à quibus contra quos, Et in quibus rebus impetrari possit?*

**S**Upplicare Principi, sive impetrare Rescriptum potest quilibet, sive Actor, sive reus sit, nisi specialiter prohibeatur: Qualiter prohibetur hæreticis *l. 2. Cod. de summa Trinit. Servis, l. 1. Cod. de precibus Imperato, offerendis* (nisi causarum atrocitas aliud extraordinariè concedat) & excommunicatis excommunicatione majore. *c. directus, 26. h. r.* sive occulti sive notorii fuerint, sive per se, sive per Procuratorem, &c. ita ut tam Rescriptum ab his impetratum, quam processus vi talis Rescripti institutus, sint ipso jure nulla (quamvis enim, si coram judice ordinatio egerit excommunicatus, & nec per judicem ex officio, nec per exceptionem Adversarij repellus sit, acta illius omnia, & sententia valida sint, uti colligitur ex *c. 1. §. fin. de*

*except. in 6.* hoc tamen de judice delegato per rescriptum impetrato, dici non debet, cum enim nullum Rescriptum sit, & irritum, per quod judex delegatus ab excommunicato impetratur, consequenter nullã vi talis Rescripti jurisdictionem acquirit, ergo si aliunde eam non habeat, acta judicij illius, & sententia nulla erunt) nisi super causa ipsius excommunicationis propriæ agat excommunicatus, aut super causa appellationis (ut ne medium necessarium ad sui defensionem videatur illi negari) vel impetraverit taliter excommunicatus Rescriptum ab Episcopo, aut alio ordinario, qui Papâ inferior est, vel à Principe seculari, à quibus per excommunicatum impetrata Rescripta ipso jure valida sunt, cum ea, quæ de Rescriptis in jure Canonico dicuntur, potissimum se extendant ad Rescripta Pontificia, prout ex fine hujus tituli satis colligitur.

## §. III.

*An quis non tantum pro se, sed etiam pro alio impetrare possit Rescriptum?*

**R**Esp. Rescripta ad lites, sive Rescripta justitiæ, non posse aliquem alterius nomine impetrare (ad cavendam scil. nimiam litum multiplicationem) nisi speciale ad hoc mandatum ab eo, cujus nomine impetrat, habeat. *c. nulli 28. §. sunt & alij h. r.* aut sit ex illis Personis, à quibus non debet de jure mandatum exigi, quales sunt Personæ, sanguine aut alia propinquitate conjunctæ, juxta prudentis judicis arbitrium  
aut